25

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

IPECACVANHAE VIRTVTE FEBRIFVGA ATQVE ANTIDYSENTERICA

QVAM

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCTORE ET PROF. PVBL.
ANATOM. ET BOTAN. SVBSTITVTO VT ET SOCIET.
IMPER. NAT. CVR. BRITANN.
SOCIO

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE SVO

AETATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
CONSEQVENDI

D. NOVEMBR. M DCC XXXII.

DEMONSTRABIT
AVTOR RESPONDENS

IOHAN. GODOFREDVS FRITSCHIVS

MED. CAND. PRINENS. MISN.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, PRELO SCHLOMACHIANO.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
IPECACVANHAE VIRTVTE FEBRIFVGA ATQVE ANTIDYSENTERICA.

I.



Ihil magis incremento artis ſalutaris obfuit, nihilque magis rationalem medendi methodum labefactavit, quam perverſum de panaceis & remediis ſpecificis praeiudicium. A ſana ſane alienum ratione, uno eodemque remedio in diverſis diſcrepantis naturae ſubiectis integram valetudinem tueri & labefactatam reparare velle. Varia ſolidorum & flui-

dorum constitutio, varium vitae genus, discrepantes & multifariae morborum causae contrarium penitus innuunt. Clarius haec ex speciali sic dictarum panacearum examine perspiciemus, aliae enim harum sunt remedia mere terrea, uti sic dictorum pulverum cordialium exemplo constat, hi, uti in salis acidi excessu, scopo absorbendi, conveniunt, ita iidem in contraria causa merito reiiciendi. Durior censura de balsamis vitae astralibus & panaceis confortantibus ferenda, haec etenim sale volatili oleoso saturata, in morbis a serosa colluvie dependentibus saltem conducunt, in solidorum vero ariditate nimiaque rigiditate & particularum salino sulphurearum praedominio pessima sunt venena, & nimis irritando nervos resolvendoque succos vehementem aestum, sitim, haemorrhagias symptomaticas, sudorem colliquativum, aliaque mala inducunt.

II.

Idem iudicium de remediis specificis & sic dictis arcanis ferendum, quae vel certo visceri, vel certo morbo dicata esse, nonnulli temere affirmant. Nulla dantur specifica cephalica, thoracica, stomachalia, hepatica, cordialia, uterina, ac maxime absonum, unum idemque remedium in diversis aegrotis eodem morbo laborantibus, adhibere,

hibere, nam materia peccans non una eademque in omnibus eſt, nec ſedes mali ſemper peraeque eadem; hoc innuit diverſa morborum origo, hoc indicant varia, quibus huiusmodi aegroti affliguntur ſymptomata, idem ex vario remediorum adhibitorum effectu conſtat. Male itaque illi Medici & ſuae famae ac conſcientiae & aegrotorum ſaluti proſpiciunt & conſulunt, qui ſic dictis ſpecificis in cura febrium, epilepſiae, arthritidis & ſimilium gravium morborum promiſcue utuntur, atque ad eadem, tanquam ad ſacram anchoram ſemper confugiunt Meliore certe & certiore effectu curam huiusmodi affectuum ſuſciperent, ſi rationali & ſufficienti inſtituto examine, ſedem atque indolem materiae peccantis perquirerent, illisque perſpectis, origini & cauſis congrua & ſufficientia accommodarent remedia. Non levis nec poſtrema cauſa, cur epilepſia, arthritis & ſimiles morbi pro incurabilibus habentur, temerarius ſpecificorum uſus eſt, nam multorum Medicorum mos eſt, aegrotis, allegatis morbis laborantibus ſua ſpecifica antiſpaſmodica, atque antharthritica exhibere, his nihil proficientibus, aut malo graviore penitus reddito, huiusmodi morbus incurabilis pronunciatur.

III.

Ex his quivis, quae ſit mens noſtra, de febri

brifuga atque antidyſenterica Ipecacuanhae virtute, colligere poteſt; Ipecacuanhae enim non ſpecificam, multo minus univerſalem virtutem quasvis febres & quamvis curandi dyſenteriam tribuimus, ſed particularem ſaltem atque ad certos reſtrictam caſus. Nam res eſt notiſſima atque in aprico poſita, quod Ipecacuanha ſit remedium lene emeticum, quod ſvaviſſime vomitum ciet, & tuto atque absque omni periculo hypercatharſeos exhiberi poteſt. Non ſolam igitur febrem & dyſenteriam ex ventriculi cruditatibus provenientem, ſed quosvis alios morbos, qui eandem agnoſcunt originem, allegata radix curat. Operae dehinc pretium erit, ut in ipſa principia dicti, de quo diſputamus, remedii, inquiramus, iisque detectis & demonſtratis, in quanam febre & dyſenteria conducat, indicemus atque explicemus.

IV.

Prolixior huius radicis deſcriptio, quam apud Lemery, Pomet, Pisonem, Koenigium, Boeclerum, Valentini aliosque materiae medicae auctores deprehendimus, minus neceſſaria. Ipecacuanhae tres ab allegatis auctoribus ſpecies allegantur, ex quibus una ſaltem apud nos in uſum venit, haec vero Ipecacuanha nigra appellatur, atque e Braſilia ad nos defertur. Radix

dix eſt exilis exotica, digiti fere obtinens longitudinem, craſſitie tenuiorem calamum ſcriptorium aequans, nodoſa, flexuoſa, inaequalis & quaſi geniculata, contorta & plurimis rugis annularibus inſtructa, extus fuſca, intus griſea, reſinoſa & pinguis, unde maſticata ſaporem ſubacrem & quodammodo amarum excitat. De Ipecacuanha alba, quae Blanca Luſitanis dicitur, & apud nos rarior ac minus uſualis eſt; de flava itidem, quae uti POMET commemorat, ex Peru per Hiſpanos, quibus Bexugillo vocatur, nihil hic dicendum, quippe quae radices tanquam nobis ignotae, & quarum virtus nondum ſatis detecta & probata, ad noſtrum ſcopum non pertinent.

V.

Ex iis autem, quæ in Ipecacuanhæ nobis uſitatæ deſcriptione adduximus, iam liquet, quod eadem ſal, una cum particulis ſulphureis ſubſtantiæ terreæ incluſis, poſſideat. Analyſi chymica, uti KOENIGIVS *Regn. Veget. Sect. 4. p. 878.* docet, Ipecacuanha ſal acidum oleo & terrae involutum praebet. Ex eadem radice BOVLEDVC aqua pluvia deſtillata multum ſalis, & ſpiritu vini copioſas particulas reſinoſas extraxit, uti DV HAMEL *Hiſt. Reg. ſcient. Acad. p. 579.* annotavit. Idem confirmat experimentum WEDELII, qui ex Ipecacuanhae unciis tribus

bus retortae vitreae accommodae inditis, ope deſtillationis ex igne arenae, primum liquorem coloratum obſcuriore flavedine praeditum, ari ſpiritui acrimonia ſimilem & leviter quoque acidulum acquiſivit, qui cum ſpiritu tartari in cochleari combinatus, lenem effervefcentiam, liquori vero martiali affuſus, atro rubentem mixturam produxit. Deinceps atque ultimo loco oleum prodiit empyrevmaticum inſtar olei tartari craſſum, foetens & hinc naribus exoſum. Ex capite mortuo praevia, intimiore & perfecta calcinatione, ex lixivio filtrato atque ad cryſtalliſationem loco frigido repoſito, modicum quoque ſalis lixivii fuit impetratum.

VI.

Virtus itaque huius radicis a particulis volatilibus & fixis, quibus conſtat, dependet, illarum intuitu acris, nauſeoſa atque emetica, harum vero, adſtringens & roborans eſt. Nec in omnibus ſubiectis vim emeticam exerit, ſed in nonnullis ſaltem alvum movet. Ac dantur homines, qui ad dimidiam drachmam Ipecacuanham pulveriſatam absque ſuccedente vomitu, vel alvi deiectione, adhibuerunt, in his vero uberiorem tranſpirationem excitavit. Triplex praecipue virtus Ipecacuanhae, nempe 1) emetica, 2) alexipharmaca & 3) adſtringens tribuitur, has vero vires ab iis,

quas

quas adduximus particulis, obtinet. Maxima vero, si operationem respicimus inter Ipecacuanham & rhabarbarum intercedit convenientia, uti enim rhabarbarum alvum prius laxat & purgat, ac deinceps adstringit, ita pariter Ipecacuanha, post expurgationem vomitu vel alvina factam deiectione, ventriculum atque intestina roborat, unde quoque eadem promtissimae est operationis, & brevi nausea ac vomitus cum totius corporis emolumento cessat. Vt paucis totam rem complectar, Ipecacuanha 1) lene est emeticum, uti plurimorum, qui hac radice usi fuerunt, experientia constat, 2) temperatum resolvens, quod tum ex effectu, tum ex principiis probatur, 3) subadstringens atque absorbens, quod praeter observationes clinicas, substantia huius terrea demonstrat.

VII.

His evictis perfacile est iudicatu, in quanam febre & dysenteria Ipecacuanha conducat. Primum Ipecacuanhae usum in febribus enodabimus, deinceps ad dysenteriam progrediemur. Vix quenquam fore credo, qui Ipecacuanham in febrium intermittentium cura non laudet; non autem in intermittentibus saltem, sed in continuis quoque iisque malignis eius usus persaepe salutaris est, quod probe agnovit Cl. Boeclervs, qui in Cynosu-

ra Materiae Medicae continuata *Part. I. Cap. I. p. 61.* ſequentibus ſententiam noſtram confirmat: *maxime quoque convenit haec radix in febribus intermittentibus, ubi purgatione opus eſt, & quidem citra recidivae metum, ſive in ſubſtantia, ſive in infuſo exhibeatur. Nec dubitandum etiam in aliis pariter febribus continuis, ardentibus imprimis malignis diarrhoeam in ſpecie coniunctam habentibus, egregie convenire, cum materiam peccantem per vomitum expellendo non ſolummodo diarrhoeam ſiſtere, ſed & cardialgiam aliaque ſymptomata allevare valeat. Accedit inſuper vis eiusdem alexipharmaca.* Cum hoc conſentit KOENIGIVS, qui *Regn. Veget. Sect. IV. p. 879.* haec de febrifuga Ipecacuanhae virtute affert: *notabile vero atque in praxi maxime proficuum eſt, quod eadem radix in febribus intermittentibus inſigniter conveniat, ubi opus eſt purgatione & quidem citra recidivae metum, quam cortici Peruviano vulgo tribuunt, uti ex propria experientia comprobat Hermannus, qui in tali caſu Ipecacuanham tum in ſubſtantia, tum in infuſo feliciter ſemper praeſcripſit.* Minime vero uti iam §. antecedenti III. indicatum, promiſcue in quavis febre, Ipecacuanha adhibenda, ſed in ea ſaltem, quae ſive intermittens, ſive continua ſit, ex ventriculi cruditatibus originem habet.

VIII.

Illi quidem etiam in hoc caſu, Ipecacuanhae uſum

usum reiicient, quibus quaevis emetica tanquam pessima venena exosa sunt, ast illi minus sciunt distinguere inter usum atque abusum; praeterea ab iisdem emetica vehementia & periculosa cum lenioribus & tutis confunduntur. Hoc utique certum, quod multi ex usu emeticorum drasticorum, qualia mercurius vitae, vitrum antimonii, crocus metallorum, praematura, gravissimis symptomatibus excruciati, morte perierint. Ast hoc minus, a legitimo Ipecacuanhae usu expectandum, tam leniter enim & tam promte agit, ut infantibus adhuc in cunis existentibus, tuto imo cum maximo emolumento exhiberi possit. Cumque tam benigne agat, in epilepsia, suffarctu, asthmate aliisque pectoris affectibus, quibus haud raro multi afficiuntur infantes optimo cum successu praescribitur. *Non suffuratur* inquit KOENIGIVS *l. & l. c. p. 881. Ipecacuanha vires, vel depauperat, sed conservat & liberat, unaque sic mineram depurgat, ne peius aliquod symptoma timendum sit.* Ea de causa non tantum in Belgio, sed in aliis quoque regionibus allegatae radicis usus Medicis prudentibus in cura febrium intermittentium & continuarum, ubi indicationes vomendi praesto sunt, frequens est.

IX.

Probe autem, antequam Ipecacuanhae usum prae-

praeſcribis, febris originem, ſedem & materiam peccantem examines; non enim eadem in alio caſu exhibenda, quam ubi ſufficientia vomitus inſtituendi indicia adſunt. In illis igitur febribus, quarum origo & ſedes in ventriculo haeret, Ipecacuanha conducit. Omnes febres, hic multi regerent, ex ventriculo ortum ducere, adeoque in omni febre, cumprimis intermittente, allegatae radicis uſum convenire. Aſt error ille gravis admodum atque in Praxi medica haud tolerandus; quot enim tempore autumnali in febres praeſertim catarrhales, ex ſola ſuppreſſa tranſpiratione inſenſibili incidunt? quot febribus ex ſanguinis abundantia afficiuntur? quot ob ſuppreſſum fluxum haemorrhoidalem vel menſtruum tam intermittentibus, quam continuis corripiuntur? quot eandem calamitatem ob viſcerum inflammationem, exulcerationem, obſtructionem aut ſcirrhum pati tenentur? Vti autem ex his ſatis liquet, quod omnis febris origo non ex ventriculo atque inteſtinis deducenda, ita minime cum ſalutari effectu Ipecacuanha in omni febri praeſcribi poteſt.

X.

Atque ea, quae modo commemoravi non ſaltem in cura febrium continuarum, ſed intermittentium quoque tenenda. Maiore certe cum circumſpectione

ſpectione Ipecacuanha in continuis, quam intermittentibus adhibenda, interim tamen, ſi ſufficientia adſunt indicantia, nullaque obſtant contraindicantia, ſi praeſertim morbi adeſt principium, eandem radicem optimo cum ſucceſſu exhibere, ipſumque morbum avertere poſſumus. Hoc egregie illuſtrari poteſt hiſtoria, quam KOENIGIVS l. c. p. 881. in medium producit, *iuvenis*, inquit ille, *viginti quatuor annorum a potu vini Hiſpanici calore praeternaturali, dolore praecordiorum, capitis & dorſi cum ſiti correptus, exbibita doſi Ipecacuanhae mox levatus, optime habebat.* In tali igitur caſu, ubi materia peccans adhuc in primis viis haeret, & febris continua nondum ad ἄυξησιν vel ἀκμὴν pervenit, Ipecacuanha conducit, ſi vero febris exanthematica, variolacea, morbilloſa aut ſimilis adeſt, ſi deinceps morbi augmentum aut ſtatus plane adeſt, Hippocratis monitum obſervandum: quicquid movendum, in principio movendum, in ſtatu praeſtat quietem habere.

XI.

In febribus vero intermittentibus, ſi collectarum in ventriculo cruditatum indicia adſunt, quovis, excepto paroxyſmi tempore, exhibenda Ipecacuanha. Praecipue exoptatus effectus ab illius uſu expectandus, ſi aliquot horas ante paroxyſmum

exhibetur. Datur ordinario Ipecacuanha in substantia a scrupulo uno ad dimidiam drachmam in infuso Theae, vel Thee Boy; melius autem eandem operari animadverti, si eandem pulverisatam per noctis spatium in vino malvatico vel hispanico digerimus, & deinceps una cum vino propinamus. Alii solum Ipecacuanhae infusum commendant, sed idem nimis debile, nec ad cruditates ventriculi removendas sufficientes possidet vires, praecipue in phlegmaticis, ubi pituita crassior peccat; nam in tali statu ne quidem Ipecacuanha in substantia exhibita sufficit, sed necessarium, ut ad augendas illius vires, unum alterumve granum tartari emetici addatur. In iis vero, qui facile vomunt, ubi cruditates mobiles & satis praeparatae, meliore cum effectu sola Ipecacuanha praescribitur; nam ab usu tartari emetici non vehementes modo vomitus alvinaeque eiectiones, sed haud raro etiam hypercatharsis, imo passio cholerica cum cardialgia, animi deliquio & summa virium prostratione, excitantur, quod nunquam, si solam exhibes Ipecacuanham eveniet.

XII.

Praecipue sola Ipecacuanha in febribus cum diarrhoea, vel dysenteria coniunctis exhibenda, penitusque hic reiiciendus tartarus emeticus. Atque

hoc eo maiore cum ſedulitate & circumſpectione obſervandum, ſi dyſenteria eſt morbus idiopathicus. Ante omnia vero hic eorum examinanda ſententia, qui Ipecacuanham pro remedio univerſali in omni dyſenteria habent. Ex eorum numero eſt Piso, qui *in Hiſt. Nat. Braſil. lib. IV, cap. 53. & lib. V. cap. 19.* refert, quod in his terris praeſentius & praeſtantius remedium adverſus plurimos morbos cumprimis diarrhoeam & dyſenteriam non inveniatur. Magis adhuc in cura dyſenteriae virtutem Ipecacuanhae celebrat Valentini *Polychreſt. Exot. p. 22.* ſequentibus uſus: *quam maxime autem in quibusvis alvi fluxibus, dyſentericis imprimis compeſcendis, ſe admirandam praebet, quod expertus teſtor, cum non materiam ſolum morbificam, ut ut tenaciſſimam, a parte affecta revellat, eamque per ſuperiora, ut plurimum expellat, ſed & adſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Hoc enim prae omnibus adſtringentibus habet peculiare, quod antequam fluxum ſiſtat, vomitum prius moveat, ut rhabarbarum prius laxare ſolet, quam adſtringere. Quid? quod! & virtute alexiteria miaſma dyſentericum per poros cutis exterminet, adeoque triplici ratione ad morbum hunc ſubigendum conducat, vomitum prius, abhinc ſudorem & tertio adſtrictionem cauſando.* Tanti plane Tournefort allegatam radicem in dyſenteriae cura aeſtimat, ut non vereatur, ſecundum Pometi, in ſuo

ſuo libro, qui dicitur, der aufrichtige *Materialiſt Part. I. lib. 2. cap. 1. p. m. 56. & 57.* teſtimonium affirmare; nullum remedium adhuc notum eſſe, quod tam cito ac tam tuto, quam quidem Ipecacuanha, dyſenteriam curet. Idem, eodem loco paulo ſupra, allegatam radicem pro ſufficienti remedio in dyſenteria inveterata, ubi a materia acri iam eroſum atque exulceratum eſt inteſtinum rectum agnoſcit.

XIII.

Verum enim vero, licet concedere tenear, plures dari caſus aegrotantium diarrhoea & dyſenteria affectarum, ubi Ipecacuanhae uſus maxime proficuus & ſalutaris, imo neceſſarius. Minime autem a particulari ad univerſale concludere licet, quo minus enim credamus, in omni dyſenteria Ipecacuanham conducere, ſana ratio, una cum quotidiana experientia docet. Hoc multi iam animadverterunt, atque ea de cauſa in huius uſu debitam circumſpectionem adhibendam eſſe, ſedulo monuerunt. Ex eorum numero ſunt BOECLERVS & POMET, quorum prior ſequentes cautelas praeſcribit: *non temere*, inquit, *quibusvis aegris Ipecacuanha dari, & absque inſigni praemeditatione nemo ea abuti debet, violento enim etiam, ut cetera vomitoria, motu agit. Ante omnia probe ponderandum,*

an

an e re, cum aegri, tum ipsius medici, sit, exhibere hoc remedium. Dantur enim casus, ubi merito ab eo abstinere decet, ne remedio enecuisse videamur, quem sors aut materia occiderat. Fieri hoc posset in iis, quibus nimia diuturnitate delirium, singultus, vomitus cum tensione dolorifica in infimo ventre, deiectionibus, fecibus vini aut loturae carnium similibus, cadaverosi odoris, oborta sunt, quae cum certa sint gangraenae intestina corripientis indicia, hinc frustra illos salutem speraturos censet HELVETIVS, *huius remedii restaurator, qui & Phtisicos, atrophia laborantes, eosque, quibus insignis iam corruptio in infimo ventre accidit, a numero hac arte sanabilium excipit, quoniam fluxus ventris his superveniens caloris nativi extinctionem & propinquam mortem indicare, in praxi observatur.* Non autem in eo saltem casu, cuius BOECLERVS facit mentionem Ipecacuanhae usus exulare debet, sed plures dantur alii, ubi & alia remedia, & alia methodus, necessaria sunt. Ingenue hoc fatetur LEMERY *Lexico Mat. Med. p. m. 580. & 581.* qui frequenter sine ullo emolumento, detrimento potius, Ipecacuanham in dysenteriae cura adhibitam fuisse, refert, & ea de causa monet, ut, si post tertiam dosin malum non leniatur, aut penitus tollatur, Medicus prudens ab ulteriore Ipecacuanhae usu abstineat, formataque rationali indicatione, alia adhibeat remedia.

XIV.

Cum itaque non in quavis diarrhoea & dysenteria conducat Ipecacuanha, ex specialibus casibus & rationali causae & sedis dysenteriae examine, ubi eadem vel reiicienda, vel adhibenda, demonstrare decet. Non unam vero eandemque semper dysenteriae originem esse, omnibus prudentibus Medicis est in confesso, atque idem tot observationes clinicae atque anatomico-pathologicae probant. Maximum pariter discrimen inter indolem materiae dysenteriam excitantis intercedit. Alia dehinc ratione curanda dysenteria, quae ex comestis fructibus,

aut aliis cibis acribus, ortum duxit; alia necessaria sunt, si dysenteriae origo a suppressa transpiratione insensibili dependet; mutanda iterum methodus medendi in dysenteria, suppressi fluxus menstrui vel haemorrhoidalis effectu; ac hoc pariter observandum in dysenteria, quae ulcus intestinorum sequitur. Praecipue dysenteria accurate a fluxu haemorrhoidali & hepatico distinguenda; in illo enim Ipecacuanhae usum minus proficuum esse, observationes plures probant. His addenda varia peccantis materiae indoles, quae hic ante omnia a prudenti Medico indaganda & detegenda; interdum salis alcalini, interdum acidi acrimonia & virulentia in culpa est; quandoque copia bilis, vel mala illius qualitas accusanda; nonnunquam visciditas, cui salia acria inhaerent, peccat; haud raro deglutitum arsenicum aliaque similis indolis venena dysenteriam excitarunt.

XV.

Ex his cum principiis & viribus Ipecacuanhae collatis, haud difficile erit indicare & probare, in quonam casu Ipecacuanha conveniat. Talis vero erit, si aliquis ex perversa victus vivendique ratione, ex comestis fructibus acribus, hausto musto recenti, aut aliorum malae qualitatis alimentorum & potulentorum deglutitione, & hinc accumulatis in ventriculo totoque canale alimentorum cruditatibus, in dysenteriam incidit; in tali enim rerum statu, cum morbi sentina in ventriculo haereat, cum ex eodem continuus intestinis suppeditetur fomes, novaque materia peccans, nullum praestantius Ipecacuanha remedium habemus; huius enim subsidio causa mali immediate ex parte affecta removetur, inversoque motu peristaltico, stimulus & motus convulsivus in intestinis sedatur, & excretiones alvinae parciores fiunt. Hic, si materia peccans simul & semel removeri nequit, altera Ipecacuanhae dosis desideratur; ac hoc pariter est Boecleri *l. c.* consilium, qui, si a prima dosi malum non sistatur, altero die secun-

fecundam, fed paululum imminutam, & fi opus eft, tertiam quoque adhibendam effe, monet. Per os vero adhibenda Ipecacuanha, minime in clyfteribus, quibus a multis alias addi folet; docuit enim experientia, uti ingenue BOECLERVS & LEMERY *l. l. c. c.* fatentur, quod fruftraneus, imo noxius quandoque Ipecacuanhae ufus in clyfteribus. Melius quoque hic operatur Ipecacuanha in fubftantia praefcripta, quam in infufo vel decocto ufurpata. Et illi quoque minus felices funt, qui alia remedia, quibus virtutem allegatae radicis aemulari intendunt, fubftituunt; audiendus hic TOVRNEFORTIVS, quidam, inquiens, vires Ipecacuanhae aemulari tentarunt, decocto tormentillae, biftortae & ceterarum radicum adftringentium, addendo vinum emeticum, aut tartarum emeticum, fed expectationi fucceffus plane non refpondet, & fi res feliciter fuccedat, emetico potius, quam decocto curatio tribui debet, nullus enim ignorat, quin ab emetico faepe dyfenteria tollatur.

XVI.

Quemadmodum vero in eo, quem propofui, cafu, Ipecacuanhae ufus maxime falutaris, ita eadem funeftam edet operationem, fi ventriculus infons atque ab omnibus liber cruditatibus exiftit, ac dyfenteria ab inteftinorum ulcere ortum duxit; decocta potius travmatica atque abftergentia, ac deinceps oleofa & balfamica exhibenda. Eadem cautela tenenda in dyfenteria, quae fuppreffam perfpirationem fecuta, nam praeter abforbentia & gelatinofa, temperata diaphoretica adhibenda, & deinceps ope martialium & opiatorum augenda in inteftinis refiftentia, quo fuccorum vitalium affluxus ad externam corporis peripheriam promoveatur. Ac, quem latet, in dyfenteria, quae a plethora & fuppreffa excretione folenni provenit, fummam venae fectionis, nullam vero Ipecacuanhae aliorumque emeticorum effe utilitatem. Concedere quidem teneor, praeter falia ftimulantia, fubftantiam terream in Ipecacuanha adeffe, tanta vero illius virtus non eft, ut ad plethoram

immi-

imminuendam, ad perſpirationem promovendam, ac deinceps ad mundificandum & conſolitandum ulcus ſufficiat, praecipue cum maxima illius virtus in ſale acri ſtimulante conſiſtat; quo motus convulſivus inteſtinorum, mutuusque attritus atque eroſio augentur.

XVII.

Haec quoque attingere fas atque aequum iudico, quod interdum ad dyſenteriae curam ſola ſufficiat Ipecacuanha; hoc vero continget, ſi tota morbi colluvies adhuc in ventriculo haeret. Saepe vero, licet mali ſedes in ventriculo haereat, alia poſt evacuationem Ipecacuanhae uſu peractam, neceſſaria ſunt; cumprimis, ſi impenſior cruditatum acrimonia peccat, quae nimia irritatione convulſivum inteſtinorum motum excitant, tunc opiata balſamicis iuncta, v. g. tinctura balſami peruviani ſpiritu nitri dulci parata cum eſſentia opii; clyſteres pariter anodyni ex vitellis ovi, lacte, therebintina pura & oleo olivarum parati, maxime conducunt. Non ſaltem vero ratio, ſed experientia quoque docet, quod licet conveniens fuerit Ipecacuanhae uſus, idem tamen ad dyſenteriae curam non ſuffecerit. Ita puer apud KOENIGIVM *l. c.*, qui duorum cum ſemiſſe annorum erat, a dyſenteria liberatus fuit, primum Ipecacuanhae, deinceps theriacalium uſu. Eadem methodus, in foemina triginta annorum, cuius allegatus Autor pariter mentionem iniicit, adhibita fuit. Hac quoque ratione iuvenis viginti trium annorum, primum nempe Ipecacuanham, & deinde theriacalia ſeu opiata praeſcribendo, curatus fuit. Quid pluribus opus, ad dyſenteriae curam ſola ventriculi expurgatio haud ſufficit, ſed huic alia adhuc ſubſidia adiungenda, quorum adiumento materia acris temperatur atque implicatur, motus inteſtinorum convulſivus ſedatur, impuritatum affluxus impeditur atque inteſtina eroſa conſolidantur; ſi enim ea procedimus, exoptatus ſemper expectandus medelae

F I N I S.